



**L. Coelii Lactantii Firmiani, diuinorum institutionum,  
aduersus gentes, de falsa religione liber primus**

**Lactantius, Lucius Caecilius Firmianus**

**[Köln], [1518]**

**VD16 ZV 9338**

Qua[n]ti sit, & fuerit semper cognitio ueritatis. Et quod nec sine religione  
sapientia, nec sine sapientia sit proba[n]da religio. Caput. Primum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71332](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71332)

L. COELII LACTANTII FIRMIANI,  
diuinarum institutionum, aduersus gentes,  
de falsa religione libri primi præ-  
fatio, ad Constantimum  
imperatorem.

**I**Quāti sit, & fuerit semper cognitio ueritatis. Et quod  
nec sine religione sapientia, nec sine sapientia sit proba-  
da religio. Caput. Primum.



A gno & excellenti ingenio uiri, cum  
se doctrinę penitus dedidissent, quic-  
quid laboris poterat impendi, contem-  
ptis omnibus & publicis, & priuatissi-  
mum contulerunt, existimantes mul-  
to esse præclarioris, humanarum, diuinarumq; rerū inuesti-  
gare, ac scire rationem, quam in struendis opibus, aut cu-  
mulandis honoribus inhērere. Quibus rebus, quoniam  
fragiles, terrenæq; sunt, & ad solius corporis pertinet cul-  
tum, nemo melior, nemo iustior fieri potest. Erant qui-  
dem illi ueritatis cognitione dignissimi, quam scire tanto  
pere cupierunt, atq; ita, ut eam rebus omnibus antepone-  
rent. Nam & abieciisse quosdam res familiares suas, & re-  
nuntiasse uniuersis uoluptatibus cōstat, ut solam, nudam  
q; uirtutem, nudi, expeditiq; sequerentur. Tantum apud  
eos uirtutis nomē, atq; auhoritas ualuit, ut ī ea oē summi  
boni præmium prædicaret. Sed necq; adepti sunt id, quod

uolebant, & operam, simul atq; industriam perdidere.  
Quia ueritas id est arcanum summi dei, qui fecit omnia,  
ingenio, ac proprijs non potest sensibus comprehendendi.  
Alioquin nihil inter deum, hominemq; distaret, si consilia  
& dispositiones illius maiestatis æternæ cogitatio asseque  
retur humana. Quod quia fieri nō potuit, ut homini per  
seipsum ratio diuina innotesceret, non est passus hominē  
Deus lumen sapientiæ requirentem diutius oberrare, ac  
sine ullo laboris effectu uagari per tenebras inextricabili-  
les. Aperuit oculos eius aliquando, & notionē ueritatis  
munus suum fecit, ut & humanam sapientiam nullam es-  
se monstraret, & erranti, ac uago uiām consequendā im-  
mortalitatis ostenderet. Verum quoniam pauci utuntur  
hoc cœlesti beneficio, ac munere, quod obuoluta in ob-  
scuro ueritas latet, eaque uel contemptui doctis est, quia  
idoneis assertionibus eget, uel odio indectis, ob insram si-  
bi austoritatem, quam natura hominum proclivis invitia-  
pat non potest (Nam quia uirtutibus amaritudo permis-  
ta est, initia uero uoluptate condita sunt, illa offensi, hac de-  
liniti feruntur in præceps, ac bonorum specie falsi, mala pro  
bonis amplectuntur) Succurrendum esse his erroribus  
credi, ut & docti ad ueram sapientiam dirigantur, & in  
docti ad ueram religionem. Quæ professio multo me-  
lior, utilior, gloriiosior putanda est, quam illa oratoria, in  
qua diu uersati, non ad uirtutem, sed plane ad argutam  
malitiam iuuenes erudiebamus. Multo quippe  
nunc rectius de præceptis cœlestibus differemus, quiz  
bus ad cultum ueræ maiestatis mentes hominum instrue-

A ij

re possimus, nec tam de rebus humanis benemeret, qui  
scientiam bene dicendi affert, quam qui pie, atq; innocen-  
ter docet viuere. Iccirco maiori in glia philosophi, q; ora-  
tores fuerunt apud gracos. Illi enim recte uiuendi docio-  
res sunt existimati, quod est longe præstabilius, qm bene  
dicere ad paucos pertinet, bene autem uiue re ad omnes.  
Multum tam nobis exercitatio illa fictarum litium con-  
tulit, ut nunc maiori copia, & facultate dicendi causam ue-  
ritatis peroremus, quæ licet possit sine eloquëtia defen-  
di, ut est a multis sæpe defensa, tamen claritate, ac nitore  
sermonis illustranda, & quodammodo differenda est, ut  
potentius in animos influat & ui sua instructa, & luce ora-  
tionis ornata. De religione itaq; nobis, rebusq; diuinis in-  
stituïs disputatio. Nam si quidam maximi oratores pro-  
fessiōis suæ quasi veterani decursis operibus actionū sua-  
rum, postremo se philosophiæ tradiderunt, eamq; sibi reg-  
em laborum iustissimam putauerunt, si animos suos in ea-  
rum rerum, quæ inueniri non poterant, inquisitione tor-  
querent, ut non tam otium sibi, quam negotium quæsi-  
se uideantur, & quidem multo molestius quam in quo fu-  
erant ante uersati, quanto iustius ego me ad illam piam,  
ueram, diuinam sapientiam, quasi ad portum aliquem tu-  
tissimum conferam, in qua omnia dictu prona sunt, audi-  
tu sua via, facilis intellectu, honesta susceptus. Et, si quidā  
prudentes, & arbitri æquitatis, institutiones ciuilis iuris  
compositas ediderunt, quibus ciuium dissidentium lites  
contentionesq; sopirent, quāto melius nos, & rectius di-  
uinas institutiones literis prosequemur, in qbus non de-

stillicidijs, aut aquis arcendis, de manu conserenda, sed de spe, devita, de salute, de immortalitate, de deo loquemur ut superstitiones mortiferas, erroresq; turpissimos sopia-  
mus. Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus Constantine Imperator maxime. Qui primus Romano-  
rum principum, repudiatis erroribus, maiestatē dei sangu-  
laris, ac ueri & cognouisti, & honorasti. Nam cum dies II  
le fœlicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te deus sum-  
mus ad beatum imperij culmen euexit, salutarem uniuer-  
sis, & optabilem principatum, præclaro initio auspicatus  
es, cum euersam, sublatamq; iustitiam reducens, teterri-  
mum aliorum facinus expiasti. Pro quo factō dabit tibi  
deus fœlicitatem, uirtutem, diuturnitatem, ut eadem ius-  
tia, qua iuuenis exorsus es, gubernaculum Reip. etiā se-  
nex teneas, tuisq; liberis, ut ipse a patre accepisti, tutelam  
Romani noīs tradas. Nam malis qui adhuc aduersus ius-  
tos, in alijs terrarum partibus sœuiunt, quanto serius, tan-  
to uehementius idem omnipotēs mercedem sceleris ex-  
oluet. Quia ut est erga pios indulgētissimus pater, sic ad  
uersus impios rectissimus iudex. Cuius religionem, cul-  
tumq; diuinū cupiens defendere, quem potius appellē,  
quem alloquar, nisi eum, per quem rebus humanis iusti-  
tia, ac sapientia restituta est? O missis ergo huiuscē terre-  
næ philosophiæ authoribus, nihil certi asserētibus, aggre-  
diamur uiam rectam. quos eqdēm si putarem satis idone-  
os ad bene uiuendū duces esse, & ipse sequerer, & alios,  
ut sequerent, hortarer. Sed cū inter se magna concertati-  
one dissideant, secumq; ipsi plerumq; discordēt, apparet

A ij

## DE FALSA RELI.

eorum iter nequaquam esse directum, siquidem sibi quis ut est libitum, proprias vias impresserunt, confusionemque magnam querentibus ueritatem reliquerunt. Nobis autem, qui sacramentum ueræ religionis accepimus, cum sit ueritas reuelata diuinitus, cum doctorem sapientiae, ducemque ueritatis Deum sequamur, uniuersos sine ullo discrimine uel sexus, uel ætatis ad cœleste pabulum conuocamus. Nullus enim suauior animo cibus est, quæ cognitio ueritatis. cuius afferendæ, atque illustrandæ septem uolumina destinauimus, quamuis ea res infiniti pene sit operis, & imensi, ut si quis hæc dilatare, atque exequi plenissime uelit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modū, nec finem reperiat oratio. Sed nos iccirco breuiter oīa colligemus, quæ ea, quæ allaturi sumus, tam clara sunt, & lucida, ut magis mirum esse uideatur, tam obscuram uideri homibus ueritatem, & ihs præcipue, qui sapientes uulgo putantur, uel quod tantummodo instruendi nobis homines erunt, hoc est ab errore, quo sunt impliciti, ad rectiore uiam reuocandi. Quod si fuerimus (ut spero) assecuti, mittemus eos ad ipsum doctrinæ uberrimū, ac plenissimum fontē, cuius haustu, atque potu, conceptam uisceribus sitim sedet ardoremque restinguant. Eruntque illis omnia facilia, prona manifesta, modo ne pigeat ad percipiendam sapientiae disciplinam, legendi, uel audiendi patientiam commodare. Multi enim uanis superstitionibus pertinaciter inhærentes obdurant se contra manifestam ueritatem, non tam de suis religionibus, quas praeue afferunt, benemeriti, quam de se male, qui cum habeant iter rectum, deuios sequuntur

anfractus, planum deserunt, ut per præcipitium labatur,  
lucem relinquunt, ut in tenebris cæci, ac debiles iaceant.  
His consulendum est, ne contra se pugnant, uel intq; se tā  
dem ab iueteratis erroribus liberari, quod utiq; facient,  
si quare sint nati aliquā peruidentia. Hæc enim prauitatis  
est causa, ignoratio sui, quam si quis cognita ueritate dis-  
cussaret, sciet quo referenda, & quemadmodum sibi uita  
degenda sit. Cuius scientiæ breuiter summam circumscri-  
bo, ut necq; religio ulla sine sapientia suscipienda sit, nec ul-  
la sine religione probanda sapientia.

¶ Quod prouidentia sit in rebus humanis. Cap. II.

 Vsepto igitur illustrandæ ueritatis officio,  
non putauit adeo necessarium ab illa quæsti-  
one principium sumere, quæ uidetur prima  
esse, natura sit ne prouidētia, quæ rebus om-  
nibus consulat, an fortuitu uel facta sint omnia, uel regā-  
tur? Cuius sententiæ author est Democritus, confirma-  
tor Epicurus, sed & antea Protagoras, qui Deos in dubi-  
um uocauit, & postea Diagoras, qui exclusit, & alijs non  
nulli, qui non putauerunt Deos esse, qd aliud effecerūt,  
nisi ut nulla esse prouidentia putaret: quos tñ cæteri phi-  
losophi, ac maxime Stoici acerrime retuderunt, dicentes  
nec fieri mundum sine diuina ratione potuisse, nec cōsta-  
re, nisi summa ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quā  
uis academicæ disciplinæ defensor esset, de prouidentia  
gubernatrice rerum, & multa sæpe differuit stoicor; ar-

A iiiij